



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. VI. De sexto effectu, qui est privatio jurisdictionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

## ARTICULUS VI.

De Sexto effectu, qui est Privatio jurisdictionis.

- I. *Quinam dicantur actus jurisdictionis, qui prohibentur excommunicato vitando, necnon tolerato, nisi fuerit hic a fidelibus requisitus?*
- II. *Actus jurisdictionis, qui a tolerato non requisito exercentur, illiciti sunt post Concil. Constant., non invalidi; Possuntque a fidelibus per exceptionem repelli: Invalidi tamen sunt hujusmodi actus, si a vitando exercentur.*
- III. *Non irritantur tamen actus, qui non sunt jurisdictionis presse dicte, qualis est, quod Parochus Matrimonio assistat.*
- IV. *Probabilis sunt actus stricti jurisdictionales, atque adeo invalidi, si fiant ab excommunicato vitando, dare facultatem assistendi matrimonio, audiendi confessiones, administrandi Sacramenta, approbare Confessarios, & Concionatores, concedere dimissorias, & similes.*
- V. *Electio, & Collatio Beneficii est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero si fiat a tolerato.*
- VI. *Presentatio pariter Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando est invalida; est vero valida presentatio laica, quamvis ab Episcopo possit repelli.*
- VII. *Num possit Episcopus presentatum ab excommunicato vitando in Beneficio instituere.*
- VIII. *Institutio facta ab Episcopo vitando est invalida. Similiter concessio possessionis, quando talis Episcopus juridice aliquem in Beneficium intromittit.*
- IX. *Postulatio, & nominatio solemn*

*est invalida, si fiat ab excommunicato vitando; secus vero simplex.*

- X. *Resignatio beneficii libera valide fit ab Excommunicato vitando; non tamen in favorem Tertii.*

I. **A**ctus Jurisdictionis dicuntur, exempli gratia, legem ferre, precipere, dispensare, judicium ferre tam in foro conscientiae, quam in contentioso, dare licentiam ad minus aliquod Ecclesiasticum exercendum, indulgentias concedere, delegare jurisdictionem, & alii hujusmodi; Qui omnes actus cuilibet excommunicato etiam tolerato sunt saltem illiciti, ex cap. *Ad probandum*, de sententia, & re judicata: Quare nisi paritas materiae, aut inconsideratio excuset, peccat graviter excommunicatus hujusmodi actus exercendo, ut communiter docent cum Suar., Hurt. disp. 7. diff. 1.; quia talis communicatio cum fidelibus est praecipua communicatio, cum sit in rebus spiritualibus. Potest tamen licite eos exercere excommunicatus toleratus, si fuerit a fidelibus requisitus, ut diximus art. 2. cum Filliuc., Pal. disp. 2. punct. 13.; quia excommunicatus toleratus privatur tantum jurisdictione in proprium commodum, non vero in commodum fidelium. Utrum autem excommunicatus privetur non solum jurisdictione Ecclesiastica, sed etiam saeculari? Examinabimus art. sequent. cum de Judice saeculari.

II. Quæritur nunc primo; An prædicti actus jurisdictionis, si ab excommunicato tolerato exercentur, quando a fidelibus is non est requisitus, sint non solum illiciti, sed etiam invalidi?

Respondeo, quicquid sit, an essent validi ante Concilium Constantiense, in quo variani Doctores apud Suar. disp. 14. sect. 1., certum est, nunc non

non esse invalidos; quia cum Ecclesia post Constantiense permittat fidelibus communicationem cum hujusmodi excommunicatis, perinde ac si non essent excommunicati, consequenter relinquit iis jurisdictionem requisitam ad hujusmodi communicationem.

Hinc duo sequuntur. Primum est, posse fideles uti aliqua dispensatione, licentia, & facultate accepta ab excommunicato tolerato, exercere jurisdictionem ab ipso sibi delegatam, servare legem ab eo latam, illique obedire. Secundum est, posse a fidelibus omnes hujusmodi actus per excommunicationis exceptionem repellere, hoc est posse fideles excommunicato tolerato præcipienti, aut judicanti objicere suam excommunicationem, & sic ejus præceptum, seu sententiam eludere. Ratio est, quia quamvis fideles possint, non tamen tenentur cum excommunicatis toleratis communicare; Unde si legitimam, seu a jure approbatam exceptionem fideles adhibeant, possunt excommunicatorum toleratorum jurisdictionem vitare; ut communiter docent cum Suar., Less., Avil., Bonac. quæst. 2. punct. 1. Tenetur tamen excipiens intra octo dies excommunicationis speciem, & Auctorem probare; aliter exceptio est nulla, ex *Cap. 1. de Exception.*

Infertur ex dictis, quod excommunicatio lata ab excommunicato tolerato sit valida, (sicut etiam quælibet alia lex) nisi qui excommunicatur, excommunicationis exceptionem adhibeat, ut notat Con. dub. 10.: contra tamen excommunicatio lata ab excommunicato vitando sit omnino invalida, sicut etiam quælibet alia lex; cum careat iste usu jurisdictionis. Eodem modo facultas dispensandi in votis, administrandi Sacramentum penitentiae, ferendi leges, &c., concessa ab Episcopo excommunica-

*Part VIII.*

to tolerato est valida; Secus vero ab Episcopo vitando, necnon ab ejus Vicario, quamvis hic ab Episcopo ante excommunicationem acceperit jurisdictionem; Etenim unum, & idem Tribunal est Vicarii generalis, & Episcopi, nec datur appellatio a Vicario ad Episcopum; Unde sublata jurisdictione ab Episcopo sive per mortem, vel per excommunicationem, aut suspensionem, tollitur etiam a Vicario: Contra vero qui ab Episcopo vitando ante ejus excommunicationem habuit facultatem absolvendi, administrandi Sacramenta, dispensandi in votis, &c., potest ea uti, sicuti post mortem, ita etiam post excommunicationem Episcopi; quia hujusmodi gratiæ non expirant morte concedentis. Demum qui ante excommunicationem Episcopi delegatus est ad aliquam causam judicandam in foro contentioso, superveniente excommunicatione, per quam Episcopus sit vitandus, si res sit integra, hoc est si causa nondum est incepta, cessat in Delegato jurisdictione; secus vero si non sit integra, seu si causa jam inceperit, ut notat Suar. ex *cap. Gratum, de Officio Delegati.*

III. Adverte tamen ex Bonac. quæst. 2. punct. 5., excommunicatum vitandum privari dumtaxat usu jurisdictionis proprie dictæ; unde gesta ab excommunicato vitando, quæ non fiunt ex officio jurisdictionis proprie dictæ, non irritantur: Quare potest Parochus vitandus valide matrimonio assistere, cum hic non sit actus jurisdictionis: Similiter matrimonium ab excommunicato vitando celebratum validum est, etsi illicitum; quia est actus procedens a contrahente, tanquam a persona particulari, non secus ac contractus venditionis, emptionis, &c.; qui pariter validi sunt, quamvis peccet ex-

o

com-

communicatus ineundo illos absque necessitate. Solum invalidatur in cap. *Significasti* testamentum factum ab eo, qui excommunicatus fuit propter hæresim, vel propter percussionem Cardinalium.

IV. Dubium est; An sint actus jurisdictionis, atque adeo an sint validi, si ab excommunicato vitando fiant, approbare confessarios, & concionatores, dare facultatem audiendi confessiones, dare literas dimissorias; necnon a Parocho dari facultatem alteri assistendi matrimonio, administrandi suis subditis Sacramentum Baptismi, Extremæ Unctionis, Eucharistiæ, &c.

Respondeo, Sylvest. V. *Unctio* cum aliis negare universim eos esse actus jurisdictionis; atque adeo docet esse validos: Alii putant, valide tantum dari licentiam administrandi Baptismum, Eucharistiæ, Confirmationem, & Extremam Unctionem, necnon assistendi Matrimonio; quia hi actus non requirunt jurisdictionem.

Sed Con. dub. 10. putat, omnia ista invalide ab excommunicato vitando concedi; quia quamvis baptizare, verbi gratia, & Eucharistiæ administrare non sint actus jurisdictionis; at dare facultatem ad ista, actus est jurisdictionis; Sicuti quamvis egredi domo non sit actus jurisdictionis; at dare facultatem egrediendi domo, actus est jurisdictionis, & religiosi a Prælato, tanquam a Superiore, licentiam hanc petunt. Addit Con., omnino improbabile videri, quod dare alicui veniam audiendi confessiones, approbare Confessarium, & concionatorem, concedere dimissorias, & alia hujusmodi, non sint actus jurisdictionis: Etenim cum hæc fieri possint etiam ab Episcopo nondum Sacerdote, constat non esse actus Ordinis; & cum sint actus alicujus potestatis, remanet, ut sint a-

ctus jurisdictionis. At probabiliter Martinus Perez cum Hurt., & aliis docet, ut diximus in de Matrimonio, quod dare licentiam Sacerdoti, ut Matrimonio assistat, non sit actus jurisdictionis; quia hoc nihil aliud est, quam substituere, qui assistat loco ipsius Parochi, designando talem Sacerdotem; hæc autem designatio non est actus jurisdictionis, sicuti si Episcopus det facultatem audiendi confessiones ei, quem Titius designabit, talis designatio non est actus jurisdictionis.

V. Quæritur secundo; An electio ad beneficium, & ejusdem collatio facta ab excommunicato sit valida?

Respondeo, tam electionem ad beneficium, quam collationem illius factam ab excommunicato tolerato esse validam; a vitando vero factam esse invalidam. Ratio ex dictis est manifesta, quia solus excommunicatus vitandus privatur usu jurisdictionis; hujusmodi autem actus procul dubio sunt jurisdictionis. Ita communiter cum Hurt., Pal., Bona c.

Hinc fit, ut excommunicato, verbi gratia, uno Canonico, cui simul cum aliis Canonicis competit jus eligendi, invalida sit electio ab illo facta cum aliis, quando votum illius excommunicati est necessarium ad numerum sufficientem suffragiorum ad electionem requisitorum; quia talis suffragii nulla ratio habenda est, perinde ac si non interfuisset Canonicus excommunicatus, & soli non excommunicati legitime elegerint: At si eo præciso adhuc habetur sufficiens numerus suffragiorum ad electionem, Electio est valida, ex *Regul. 35. juris in 6. Utile non debet per inutile vitari*. Ita Suar. disp. 14. sect. 2., Con. dub. 10., Pal. Sola tamen electio Pontificis est valida, etiam si fiat a Cardinalibus excommunicatis, ex *Clement. Ne Romani, de election. in 6. Id.*

Idque ob gravissima inconvenientia, quæ sequerentur, si liceret electionem Papæ per oppositam Eligentium excommunicationem elidere, ut ponderat Suar.

Doctrinam hanc circa electionem putant aliqui cum Bonac. punct. 5. militare non solum in electione ad dignitatem Ecclesiasticam, sed etiam ad laicalem; Necnon in præsentatione jurispatronatus Ecclesiastici, quæ vim habet electionis, ut mox dicemus; Et multi etiam illam extendunt ad præsentationem factam a laico, vel a Clerico ratione sui patrimonii; quamvis hoc communius negetur apud eundem Bonac.

VI. Quæritur tertio; An sicut electio, & collatio beneficii, ita pariter præsentatio facta ab excommunicato vitando sit invalida?

Respondco, præsentationem aliam dici Ecclesiasticam, aliam laicam. Ecclesiastica fit a Clerico ratione alicujus jurispatronatus Ecclesiastici. Laica fit a laico, vel etiam a Clerico ex titulo patrimonii, aut jurispatronatus laicalis. Præterea per præsentationem præsentatus acquirit jus, ut beneficium sibi conferatur, si sit dignus; unde collator invalide illud conferret alteri non præsentato sine consensu Patroni; quia hoc fieret cum injuria talis Patroni.

His explicatis, Dico primo; Præsentatio Ecclesiastica facta ab excommunicato vitando est invalida, nullum tribuens præsentato jus ad beneficium. Ita communiter cum Suar. loc. citat., Con., Pal., Filliuc. Ratio est, quia præsentatio Ecclesiastica de se confert jus ad beneficium; nullus autem excommunicatus vitandus potest conferre valide jus ad beneficium; cum talis collatio juris sit usus jurisdictionis.

Dico secundo; Præsentatio laica facta ab excommunicato vitando non

est invalida; unde potest ejus intuitu valide conferri beneficium præsentato. Ita idem Pal., & alii: Ratio est, quia per præsentationem laicam non acquiritur a præsentato jus firmum ad beneficium; cum laicus non possit conferre jus ad beneficium; & ideo Patronus mutare potest, donec facta sit institutio, ut habetur in cap. *Cum autem, de jurepatronat.*, Ubi e contra præsentatio Ecclesiastica facta a clerico qua tali mutari non potest, eo quod per illam acquiratur jus firmum ad beneficium. Hinc est, quod præsentatio Ecclesiastica non differt substantialiter ab Electione; & consequenter utraque est invalida, si sit ab excommunicato vitando, cum utraque jus conferat ad beneficium. E contra præsentatio laica, sive hæc a laico fiat, sive a Clerico, juxta ea, quæ explicavimus.

Dico tertio; Quamvis præsentatio laica facta ab excommunicato sit valida, potest tamen ab institutore, seu ab Episcopo repelli. Ratio est, quia quamvis possit Episcopus valide illam admittere, & præsentatum in beneficio instituere, non tamen tenetur; cum non teneatur communicare cum præsentante excommunicato; Immo cum excommunicato vitando tenetur non communicare, ac proinde tenetur potius Laici præsentationem repellere, ut docent Garz., Suar., Hurt., Pal. disp. 2. punct. 13.; Nisi forte aliud exigat utilitas Ecclesiæ, sine cuius notabili detrimento beneficium diutius vacare non posset; tunc enim posset Episcopus sine peccato præsentationem admittere.

VII. Dico ultimo; Quamvis præsentatio Ecclesiastica facta a clerico excommunicato vitando sit invalida, potest tamen Episcopus valide præsentatum in beneficio instituere. Ita Con. dub. 10. cum Suar. Ratio est, quia nullo jure talis institutio irritatur:

tur: Quamvis enim praesentatio illa non tribuat ullum jus praesentato, valet tamen ad hoc, ut collatio fiat consentiente patrono, & consequenter non sit illi injuriosa; Peccat tamen Episcopus saltem venialiter ex Suar. acceptando talem praesentationem; quia non potest cum excommunicato vitando communicare, nisi utilitas Ecclesiae id postulet, ut diximus.

VIII. Quæritur quarto; An Institutio, & concessio possessionis facta ab Episcopo excommunicato vitando sit valida?

Respondeo circa Institutionem, non esse validam, ex cap. *Conquirente*, de *Officio Ordinarii* apud Henr. Ratio est, quia Institutio æquivalet collationi beneficii, unde requirit jurisdictionem, qua omnino privatus est Episcopus excommunicatus vitandus. Circa concessionem vero possessionis distinguendum est: siquidem si iudex Ecclesiasticus excommunicatus vitandus utatur sua jurisdictione ad intro-mittendum aliquem in possessionem sui beneficii, procul dubio talis concessio, seu intromissio est nulla; cum excommunicatus vitandus privetur Ecclesiastica jurisdictione: Si vero sine usu jurisdictionis fiat talis concessio, ut plerumque accidit; quamvis sit illicita, utpote ferens communicationem prohibitam cum tali excommunicato; non est tamen invalida; etenim per talem concessionem non confertur ullum jus, sed solum possessori datur, quod suum est.

IX. Quæritur quinto; An Postulatio facta ab excommunicato sit invalida, sicut etiam nominatio?

Respondeo explicando prius terminos. Postulatio est concursus Capituli facta petitio ejus, qui eligi non potest in Prælatum, ut in impedimento a Superiore dispensetur, puta in aetate, in natalibus, &c. Dividitur Postulatio in solemnem, & simplicem; Solemnis,

quæ fit a duabus saltem partibus Capituli apud Prælatum, & tribuit Postulato jus, non secus ac electio, & confirmatio: Contra vero Postulatio simplex. Hoc posito, respondeo cum Suar. disp. 14. sect. 2., Postulationem solemnem factam ab excommunicato vitando esse invalidam, non vero simplicem; & idem dicendum de Nominatione, quæ pariter in solemnem, & simplicem dividitur. Ratio doctrinæ constat ex dictis; siquidem sola Postulatio, & Nominatio solemniter conferunt jus, atque adeo requirunt jurisdictionem, qua caret excommunicatus vitandus; utraque tamen tam postulatio, quam nominatio a tali excommunicato facta repellitur ob rationes supra dictas, quia scilicet Episcopus non tenetur communicare cum excommunicatis; quamvis si ea acceptet, valide acceptet. Ita Suar.

X. Quæritur ultimo; An Resignatio beneficii facta ab excommunicato vitando sit valida?

Respondeo, dupliciter posse beneficium resignari in manibus Prælati. Primo simpliciter, hoc est ita ut Prælatus possit libere illud conferre, cui maluerit. Secundo in favorem tertii. Primam resignationem esse validam, si fiat ab excommunicato vitando, certum est apud Doctores; siquidem talis resignatio est pura cessio beneficii, quæ & excommunicato expedit, & Ecclesiae. De secunda resignatione dubium est. Putant esse pariter validam Bonac. punct. 5., Pal. punct. 13.; quia per talem resignationem nullum jus confertur resignatario; etenim jus in beneficium totum manet penes resignantem, donec resignatarius provisorius sit a Pontifice. Negant tamen esse validam Covarr., Filliuc., Suar. disp. 14. sect. 2., eo quod resignans concurrat hoc modo ad collationem beneficii, designando personam, cui conferatur, & partici-

pan.

pando quandam praesentationis. Accedit, quod excommunicatus privatur omni usu sui beneficii; atqui resignatio est aliquis usus beneficii; ergo invalide illud resignat: Si tamen esset excommunicatus toleratus, valide illud resignaret, ob rationes supra dictas ex Suar.

## ARTICULUS VII.

## De reliquis Effectibus Excommunicationis.

- I. Privatur etiam excommunicatus non solum civili communicatione, sed etiam forensi.
- II. Ecclesiastici Judicis excommunicati acta sunt invalida. Num etiam Judicis secularis?
- III. Similiter acta Arbitri constituti ad formam Judicis; non vero si tanquam vir prudens de consensu partium constituatur.
- IV. Quandonam excommunicatus possit esse Actor in judicio? Solum privatim potest a suo debitore petere, quod sibi debetur.
- V. S. in judicio sit reus involuntarius, ipse semetipsum defendere tam per Procuratorem, quam per seipsum.
- VI. Tabellionis excommunicati acta valent, & fidem faciunt, nisi a partibus ille excipiat.
- VII. Testimonium Excommunicati quando sit validum?
- VIII. Advocatus, & Procurator, si sint vitandi, a iudice repellendi sunt; Si vero sint tolerati, possent munus suum exercere, si a partibus invitentur, & a Iudice non repellantur.
- IX. Gravior peccat qui ad dignitatem aliquam, quamvis jurisdictione carentem, promovet excommunicatum, etiam non toleratum. Invalide autem hic promovetur ad dignitatem Ecclesiasticam, cui sit

annexa jurisdictio; & probabiliter etiam ad secularem.

- X. Acta Tutoris, & Curatoris excommunicati vitandi num sint invalida?
- XI. Contractus civiles ratione publici officii ab excommunicato vitando celebrati sunt invalidi.
- XII. Quenam rescripta sunt irrita, si cedant in favorem excommunicati?

I. **R**eliqui excommunicationis effectus reducuntur ad privationem communicationis Forensis, Civilis, & Politicæ, necnon ad annulationem rescriptorum. Circa communicationem Civilem prohibitam excommunicato abunde diximus art. 2. ostendendo in quibusnam excommunicati sint vitandi, & quando licea cum iis communicare.

Agendum nunc de communicatione forensi, ac de reliquis breviter. Et quoniam in foro judiciali concurrunt Judex, Actor, Reus, Notarius, seu Tabellio, Testis, Advocatus, & Procurator, de singulis inquirendum, an licite ea munia obeat excommunicatus? Deinde an valide ad officia, & ministeria publica Judicis, Gubernatoris, Principis, Prætoris, Curatoris, Tutoris, &c. assumatur; Tum an validi sint ejus contractus? Ac demum quænam rescripta in ejus favorem sint irrita?

II. Quaritur itaque primo; An acta Judicis excommunicati vitandi sint valida? Quod etiam quaritur de actis Arbitri.

Respondeo negative. Ita Con. dub. 2. cum communi. Et quidem de Iudice Ecclesiastico certum est ex cap. Tanum, de Sententia, & re judicata; siquidem privatur Judex Ecclesiasticus omni usu jurisdictionis. De Iudice Sæculari dubium est, an privetur statim usu jurisdictionis, & an ejus acta